


1193

LACTON
J. P. D.
FRIED. AUGUSTUS
LUEDECKE,
J. U. D. & CURLE ELECT.
ADVOC. ORDIN.





11000.

No: 503.

114

1692

169

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MORALIS,

DE

PROMISSIONE
VITIOSA
IRRITA,

Quam

Auxiliante Numine Divino

In celeberrimâ Wittenbergensium

Academiâ

SUB PRÆSIDIO

M. NICOL. PANECCI,

Zittaviâ-Luf.

publico Eruditorum examini

submittit

GEORG. CHRISTOPH. KRANZIUS,

Ortrand. Misn.

Ad diem XXIX. Octobr. An. 1692.

H.L.Q.C.

WITTENBERGÆ, prelô JO. WILCKII.



VIRIS

Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Con-
sultissimisq;

DN.DN.

CONSULIBUS,

PRÆTORIBUS,

SENATORIBUS &c.&c.

METALLIFERÆ FREIBERGÆ,

ECOENATIBUS, FAUTORIBUS & PRO-

MOTORIBUS

Omni Cultuum observantia ad cineres
usq; devenerandis,

D. D. D.

RESPONDENS



B. C. D.

Proëmium.

Nihil injustum quod utile. Ita hodiernis moribus fermè obtinet, quod tempora ipsa pace seava reddit, nec alia rerum facies apparet, quam ut de lustris Galbæ Tacitus conqueritur, *ivi lib. 1. hist. c. 12.* inquit: Corrupti in Dominos servi in Patronos Liberti, & quibus de erat inimicus per amicos oppressi. Huic non dissimile aliud quoque adest frequentissimum, ut loquitur Grotius in *Proleg. 7. B. & P. Regi, aut civitati Imperium habenti, in summâ fortunâ id æquius, quod validius, & Rempubl. sine injuriâ geri non posse, quæ omnia corrupti cujusdam status sunt principia, è quibus, tanquam ex fonte quòdam omnis malitiæ, tot tantique Vitiiorum Rivuli dimanant; quibus vel integræ Regiones, ut pessimò quòdam diluvio inundantur. Inde perjuria creberrima, & illud Priscilianistarum effatum, in ore plurium versatur: Jura perjura Secretum prodere noli, de quò vid. Horn. *hist. Eccl. p. 205.* Vota minus devota, promissiones vanæ, quæ omnia, quis deprehendere poterit in Bello Gallicò, quod adhuc magnâ quidem astutiâ at nec minori vi geritur. Nemo tamen unquam eò deducet Germanos, ut his se de fœdent sordibus: vigent adhuc virtutes, quarum possessio & maxima & utilissima est. Divitiæ quidem utiles non tamen semper justæ, ut inquit, *Isocr. orat. 1. ad Dem. πλετὸ κακίας μάλλον, ἢ καλογαγαθίας, ὑπερβύτης ἴσιν.* i. e. Divitiæ malitiæ magis, ac honestatis servus sunt. Floret adhuc Veritas, Jura servantur, promissiones vix in cassum ruunt; nam τὸ ψευδέος δαλοπεπέε καὶ πᾶσιν ἀνθρώποις μισεῖ οὗ ἄξιον, καὶ εἰ δὲ μετρίοις δέλοις συγγασέν: ait: *Plut. de Inst. Pueror.* Quapropter in presentiarum depromissionibus acturi sumus, quomodo scilicet cum prudentiâ non utilitatis, sed justitiæ & honestatis causâ susci-*

A 2

susci-



suscipiendæ, & si per incogitantiam aut aliò quopiam illicitò modo fuerint susceptæ, irritæ reddantur. Quod auspiciis Numinis divini Methodò consvetâ tentabimus.

§. 1. Ne penitus ἐνομετολογία omisisse videamur, pauca quæ videntur necessaria delibabimus. Promissio derivatur à promitto, quod itidem præpos. pro & verbo mitto suos debet natales, & quidem cum Dativo constructum, familiarem nobis obtinet significationem. Aliàs quoq; varias habet significationes, sic aliquando idem est ac minari. Sic Virg. lib. 2. Æneidos v. 96. *Promisi ultorem, & verbis odia aspera movi*, quas tamen significationes non moramur, cum parùm aut nihil ad præsens institutum nostrum faciant.

§. 2. Promissio hîc non est penitus idem ac Juramentum, quia etiam absq; juramento fieri potest, quamvis juramentum non ubiq; excludatur: Sic David Simei veniam suppliciter petenti vitam & incolumitatem promisit, & tandem juramento comprobavit. 2. Sam. XIX. v. 23. Differt etiam à Voto. Votum enim immediatè cultum divinum intendit, Deoq; aliquid certi vovet in Nominis ipsius gloriam, quale votum apud Israëlitas inter præcipua præcipuum erat, Nasiratus, quò certæ Personæ Deo ad cultum ipsius destinabantur, qualis erat Simson Samuel aliiq;. Promissio verò aliud quidpiam quod in Societate vel extra eandem spectatur respicit, sic promittere possum Piratis ob vitam concedendam, quod contingit in Mari, vel etiam Insulâ desertâ, ità etiam latronibus in Sylvâ me aggredientibus certi quid promittitur, imò in vitâ communi creberrimæ dantur promissionis, quæ multoties etiam sunt liberæ. Neque coincidit cum pacto, quia pactum ex mente Gvilielmi Grotii de Principiis Juris Naturæ Cap. 15. est *duorum pluriumve in idem placitum consensus, quando scil. uterq; aliquid agit, sed in promissione unus promittit, alter etiam aliquando merè passivè sese habet, cui fit promissio.* Sic si Rex ministro nil expetenti donum quoddam promittit, Minister hic simpliciter promissionem accipit.

§. 3. Synonymiam, si vox Promissionis latè sumatur, habebis juramentum & votum, nam in quovis juramento aliquid promittitur scil. fides aut veritas, me nimirum vel ità sentire, vel sensisse, vel facturum esse. Quodvis etiam votum aliquid promittit

mittit, seu spondet, Deo aliquid daturum seu facturum, quod ad cultum ipsius promovendum faciat. Non itaq; per omnia hæc dicimus promissionis Synonyma: sed tantū in sensu latiori.

§. 4. Cum autem hîc eas etiam attendamus Promissiones quæ juramento confirmantur, qualem §. 2. adduximus operæ præcium fore putamus, si juramenti quoq; definitionem suppeditemus, ut eò accuratius assertio thesæos nostræ constet: *Jus jurandum est assertio religiosa quâ divinæ misericordie renunciamus, aut divinam penam in nos deposcimus, nisi verum dicamus.* Quod etiam formulæ juramenti annexæ satis conspicuum reddunt: Ita *me Deus adjuvet, Deus sit Testis, Deus sit Vindex*, aut his æquipollentes: quibus forma juramenti constituitur; Quod si verò aliquando verbis discrepat, re tamen convenit, de quò vid. *Puffend. de J. N. & G. lib. 4. c. 2. §. 2.* Hugo Grotius *de Jure B. & P. lib. 2. cap. 13. §. 10.* ubi simul Plutarchi testimonium affertur qui quæst. *Rom. 44.* ita faciem juramenti delineat. *Πᾶς ὅρκος εἰς κατάρτην πλεονεξίας τῆς ἰσορροπίας.* Omne jusjurandum in diras definit, si quis pejeraverit. Ambrosius ad Valentiniarum Imperatorem. *Quid est jurare, nisi ejus quem testare fidei tuæ præfulem divinam potentiam confiteri?* Quapropter non ludi jociq; causâ sed rei seriæ & arduæ gratiâ juramenta fieri debent, ut quoq; testatur Isocrat. *Orat. 2. ad Demon.* *χρημάτων ἐνεκα μηδὲνα θεῶν ὁμῶσαι μὴδ' εἰς ἰσορκεῖν μέλλης. Δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ὀπιθερεῖν τοῖς δὲ φιλοχρημάτοις ἔχειν.* i. e. pecuniæ causâ, per nullum Deum jurabis, etiam si liquidò id facere possis: ne aliis per jurus, aliis avarus esse videaris. Inde temerarium est ut Veritas aut falsitas juramentorum miraculò quodam præsentaneo demonstraretur inquit *Dn. Puffendorff. l. c.*

§ 5. Sed plura de juramento persequi nolumus, cum illud inadæquatè tantum ad præsentem scopum nostrum collimet, ex diverticulo inviam redeuntes, Promissionis definitionem ex Gvilielmi Grotii *de principiis Jur. Nat. cap. 15.* hanc proponimus: *Promissio est quando quis se aliquid daturum vel facturum affirmat aut negat*, per quam etiam jus aut dominium in alterum transfertur, quando non tantum nudè animum explicamus, qualem habeamus de re futurâ, non tamen necessitatem quandam intendimus, quæ voluntatem reddit firmam & stabilem; sed quando determinamus voluntatem eamq; etiam confirmamus, nec aliter nos facturos promittimus.

A 3

§. b. Ex



§. 6. Ex quibus duplex oritur Promissio, altera *Perfecta* altera *Imperfecta*. *Imperfecta* est juxta Puffendorff. de J. N. & G. lib. 3. c. 5. §. 6. quando quis voluntatem suam pro futuro tempore determinat ad aliquid gratuito alteri præstandum, cum signo sufficiente ad indicandam perseverandi necessitatem, cujus exemplum tale ibidem suppeditat: Si quis promissionem ita concipiat. Ego serio destinavi hoc vel illud tibi præstare, & peto ut mihi id credes, ubi magis ex veritate quam justitiâ obligor ad præstandum quod promiseram. Circa quam hoc notari potest, quod quamvis illa me non plenè obliget ad præstandum, nulli tamen id mihi honori sit, si eandem opere ipso non demonstravero. Principes itaq; & Magnates multoties quidem non sufficienter obligantur ad promissiones observandas, interim tamen ut Majestati & auctoritati suam constet decus, id quod semel promiserunt præstare student. Et quod hic nulla detur obligatio vel ex definitione ipsius constare potest, quam Dominus Puffend. de J. N. & G. cap. 1. §. 21. ita tradit: Obligatio est, per quam quis præstare aut admittere vel pati quid necessitate morali tenetur. In Promissione imperfecta nulla talis datur necessitas. *Perfecta* demum Promissio est, quando quis non tantum voluntatem pro futuro tempore determinat, sed simul etiam indicat, se se jure suo circa hanc rem abdicare, illudq; in alterum transferre; ita ut ad tenendum illud obligetur, alter verò istius poscendi & possidendi jus habeat.

§. 7. Ut tamen eò accuratius promissionis nostræ naturam investigemus ad causas ejusdem recurrendum erit, quibus cognitio eò melius de effectu judicari poterit, ac *Primo quod Efficientè attinget quæ scilicet*: ipsam promissionem exercet, illa debet esse Persona capax aliquid promittendi, rationis compos, rei; non ignara. Inde etiam pueri puellæq; promissiones validas haudquaquam dare valebunt. Aut ut eò clarius eà de re loquamur, requiritur (1) Potestas juris, ac proinde lege Hebræa Mariti uxorum, Patres liberorum qui sui juris nondum erant, vota irrita faciebant. (2) *Scientia Intellectus*: quippe Intellectus practicus est consiliarius actionum moralium, est conditio sine qua non seu necessariò prærequisita, hic enim deliberat prospicitq; de mediis ad finem necessariis, itaq; in promissis delibera-

tio

tio est necessaria. (3) Voluntas, quæ est causa adæquata actionum moralium, hæc impedita actionem reddit in vitam vel coactam. Ex his tale dimanat Porisma: *Omnia qui promittis debet esse sui juris, siens volensq; id faciat libere non coactè.*

§ 8. Causa impulsiva pro varietate ipsius Subjecti agentis variat: Multoties enim ad promittendum vel mera impellit benignitas erga Proximum seu Regis erga Subditum, ut Christus in parabolâ de Rege refert qui non tantum remissionem debiti stupendi promiserat sed & eandem præstiterat Illudq; ut vocabulum in textu authentico contentum innuit *σπλαγχνισθῆς* ex mera benignitate fecit; Vel etiam aliis de causis, quæ nos ad promittendum impellere possunt.

§ 9. Occurrit etiam non aded infreqvens promissionis impulsiva scil. Metus, qui nos multoties ad actionem voluntati nostræ repugnantem adigit, ut est abjectio mercium præsentis naufragio, quò tantum vita servetur, de quibus tamen nostra non est tractatio: dispiciendum potius est de metu quatenus promissiones elicit. Estq; *vel gravis absolutè, vel ratione habitâ personæ metuentis, vel levis. Illatus vel justè vel injustè.* Alii ita quoq; distinguunt *Metum ratione Subjecti esse,* qui etiam in *Constantem Virum caderet, si sc. periculum sit ὀπίε ἀνδρωπῶν,* vel *qui in constantè ac effeminatum tantum percellit.* Quando quis v.g. in prælio pro patriâ constitutus mortem aut pericula quæ non sunt supra hominem timeret. Promissio ex metu facta, si merum spectetur jus naturæ omninò parit obligationem, quia consensus adest absolutus. Nam metus opponitur consensui omninò libero, eâ libertate, quæ opponitur coactioni: non eâ libertate quæ opponitur necessitati, & quæ sufficit ad simpliciter Voluntarium atq; liberum ut docet Simonius, in Notis ad Grot. de J. B. & P. lib. 2. c. XI § 7. Si verò promissio facta est ex metu injustò quavis levi, tunc is cui facta est promissio tenetur liberare promissionem Grotius dicit, si velit at B. Zieglerus in Coment. ad hunc ita dicit. *Imò in foro Conscientiæ & ex ratione juris naturalis, etiam si promissor non velit. Nec enim propterea, quia ex promisso suo obligatur promittens; alteri qui metum incussit, jus aliquod natum est, vel exigendi vel retinendi id quod promissum fuit p. m. 343.*

§. 10.

§. 10. Occurrit & adhuc alia causa impellens promissionem scil: Violentia, ubi aliquis ad aliquid promittendum cogitur quæ promissio est irrita, cum non fluat ex alterius consensu. *Violentia verò est vel Physica vel legalis seu Moralis. Illa actum imperatum & loco motivam cogit; Hæc ut in ultrò volentes & quasi condescendentes in actionem imperatam vim non exercet, ita pugnantem affectum violenter cogit cum iniqua est. vid. B. Dannh. in peculiari dissert. de Voto Jephthæ §. 16.*

§. 11. Expositâ causâ Efficiente externâ ad internas accedimus, ubi latissimus sese aperit campus circa Materiam Promissionis quænam scil. sint promittenda quæ paucis ita expediemus. Primò promittenda non sunt *Impossibilia ad quæ nec facultatem physicam nec moralem habemus; Sed ut Epicetus in Enchirid. cap. 20. dicit* *Κύριον ἐκάστῳ ἐστὶν ὁ τῶν ὑπ' ἐκείνου θελομένων ἢ μὴ θελομένων ἔχει τὴν ἐξουσίαν, εἰς τὸ ἀποποιῆσαι ἢ φιλέει.* Id est cuiusq; Dominus is est, qui ea, quæ ipse vult habet, vel conservandi vel eripiendi. Itâ Stolidâ esset promissio, si quis promitteret se in hâc vitâ nunquam peccaturum, aut se nunquam cibo potuve usurum, hæc enim sunt impossibilia, quæ nemo in hâc vitâ præstare potest. *Secundò Illicita & mala, qualis promissio erat Judæorû, qui sese devoverant neq; esuros neq; bibituros donec occiderent Paulû Act. 23. v. 12. quorsum etiâ pertinet merces prostibuli de quò vid. B. Meish. Phil. Sobr. part. 3. cap. 6. qv. 3. & omnia quæ sunt turpia ac illicita. Studiosè hîc distingvendum censet B. Ziegl. inter juramentum illicitum & juramentum de re illicitâ. Illicitum potest esse inquit ratione alicujus circumstantiæ & qualitatis vitiosæ, ut si sit temerarium, si prodigè promissorium, si dolo aut metu extortum. De re illicitâ illud dicitur, quod pro objecto habet rem lege vel divinâ vel humanâ prohibitam. Hoc nunquam est validum: Illud validum esse potest & propterea servandum vid. in Notis ad Grotium. de J. B. & P. p. 359. Sic de re illicitâ quoq; erat pactum & promissio horrendâ quam Catilina cum sociis suis contra Patriam exercuerat ubi ex cranio Sanguinem humanum lambebant de quibus vid. Salust. in Catil. Tertiò Promissio non debet esse circa res fortuitas aut contingentes, quæ vel fieri possint vel etiam non, cum itaq; circa res, contingentes nullam habeamus scientiam ergò eadem etiam categoricè promittere non possumus*

possumus. Itaq; vix probanda sunt promissiones & vota quæ
habet Florus *lib. 2. cap. 4. de Bello Gallico.* Sic quoq; vanum erat
ad quod equites Gallorum contra exercitum Romanum con-
clamaverant, sanctissimo jurejurando confirmari oportere,
ne tecto recipiatur ne ad liberos, ne ad parentes, ne ad uxorem
aditum habeat, qui non bis per hostium agmen equitasset vid.
Jul. Caf. de Bello Gallico lib. 7. c. 66. Quarto Reprobatur etiam Pro-
missio circa res vanas ridiculas leviores v.g. si quis promittat se
nunquam parietem aspecturum, posses huc referre promissio-
nes Pontificiorum satis vanas & sæpè ridiculas. Remotis itaq;
promissionibus illicitis facile colligitur, quænam sint licitæ, scil.
quæ circa materiam honestam licitam validam arduam versen-
tur & quæ me dein obligare possunt de quibus vid. Dominus
Pufend. *de J. N. & G. lib. 3. c. 7. §*

§. 12. Altera causa interna est Forma quæ hîc per modum ab-
solvitur, quomodo nimirum promissiones fieri debeant! Mo-
dus requirit actum externum seu signum sufficiens voluntatis,
quale interdû esse potest nutus, frequentius tamen vox aut lite-
ra. Possumus & obligari per alterum si constet de voluntate
nostrâ quâ illum elegerimus ut instrumentum nostrum ad hoc
speciatim aut sub Generali ratione vid. Grot. *de J. B. & P. lib. 2.
c. XI. §. 11. & 12.* Addenda tamen nobis etiam aliqua erunt de
promissionibus jurejurando confirmatis, quas hîc etiam respi-
cimus. Juramentum ipsum quò promissio confirmatur non de-
bet fieri vocibus gentilibus, sumus enim Christiani, qui ejus-
modi Deos Spurijs exsecravimus, ut v.g. Viri per Herculem
Mulieres per Castorem de quibus vid. Aul. Gell. *Noct. Attic. lib.
XI. cap. 6. & lib. 16. c. 4. ubi jurandi formulam, militibus Roma-
nis præscriptam recenset. Solus Deus T O M. Testis & Vin-
dex est advocandus pro uti in suo Verbô mandavit. Sanctè
quoq; illud tenendum est promissum in Reverentiam Nominis
ipsius Sanctissimi, ad quod etiam Gentiles Philosophi suos ex-
citaverunt Auditores ita Isocrat. *Orat. 2. ad Nicocl. ἡγὰρ τὰς εἰσας
Ἰωάνη καὶ δισόν κὶ θεογενεῖαν μεγίστην εἶναι ὡς θελίπτον κὶ δικαιοσύνην
σπουδὸν παρέκκλις* i.e. Existima hoc esse Sacrificium optimum & cul-
tum maximum, si quàm optimum & justissimum Te præbueris. Satis
tamen de his ne extra oleas vagari videamur ad Scopum nostrum
redimus.*

B

§. 13.



§. 13. Finem Promissionum Generalem si spectes est Nominis divini gloria, quemadmodum & cæterarum actionum omnium secundum, quid talis conservatio Reipubl. seu Societatis. Particulares verò hîc determinare nostrarum nec cuiusvis virium est, quippe pro varietate circumstantiarum Subjectorumq; agentium variant sic v.g. si quis inter latrones incidat, certumq; precium pro vita servanda promittit suum respicit commodum, nec tamen negligit. Rempl. quæ sic suo non privatur civi seu membro, &c.

§. 14. De adjunctis promissionis si quæ dicenda sunt paucis ita pronunciamus. Promissio debet esse *constans* & firma ut ea quæ semel quis promiserit pressâ quoq; fide teneat nec ab illis facilè recedat, nisi simul quædam accedat necessitas promissionem reddens invalidam de quibus jam §. 11. egimus moxq; adhuc plura acturi sumus. Debet esse *libera*, idest non coacta, *grata*, nimirum talia sunt promittenda quæ alicui quoq; grata sint, *jucunda* sit i.e. ne quis difficili animo quid promittat sed de requisitis promissionis §. 12. satis dictum est.

§. 15. Illa quæ promittuntur alia sunt *favorabilia*, alia *odiosa* alia *mixta* seu *media*. Favorabilia sunt ut de finit Grotius lib. 2. de J.B. & P. cap. 16. §. 10. quæ æqualitatem in se habent, & quæ communem spectant utilitatem, quæ quò major est atq; latius patet, eò major est promissi favor, ut eorum quæ ad pacem faciunt major quam ad bellum. Odiosa sunt quæ partem alteram tantum aut plus alterâ onerant, quæ penam in se continent, & quæ alius faciunt irritos. Mixta iidem dicuntur, quæ modo favorabilia, modo odiosa censentur, ita tamen ut cæteris paribus favor censatur prior. Constituit hîc, aliq; quod intermedium, quale quid etiam in Ethicis constituitur inter Non bonum & bonum atq; malum. De his itaq; promissionum speciebus pronunciamus eas habere omninò obligationem, nec reddi facile irrita per legem naturæ, quamvis per legem civilem aliud fieri possit.

§. 16. Expositis itaq; promissionum speciebus, omnibusq; requisitis necessariis, antequam palmariam thesin nostram proponamus, unicum adhuc nobis erit expendendum. Scil. Relaxatio Juris jurandi, aut prout nostra postulat tractatio, ipsius promissionis quomodo illa sive juramento confirmata, sive minus

bus perfecta tamen ut eandem §. 6 delineavimus reddi possit irrita, & utrum etiam relaxationem quendam admittat. Ubi (1) respiciendum est ipsum subjectum relaxationis quod nimir. illud præstare queat, Secundo Causa quæ valida sit ut effectum ejusmodi producat.

§. 17. Subjectum debet esse Persona quæ summum habet imperium & potestatem in Subjectum, adeoque Principes seu Reges hac dignitate pollent, non tamen circa quævis juramenta aut actiones promiscuè omnes sed circa eas quæ ipsi Magistratui debentur atque subsunt. Rex itaque omnino reddere potest juramentum irritum antequam executioni mandetur illud: nam qui in aliquem habet imperium potest gravi de causa & jura quæ sita, multoque magis adhuc quærenda irrita reddere neque in ejus præjudicium à subjecto aliquid potest disponi, quod si id factum fuerit illud ipsi rescindere licebit. Itaque quod illas actiones concernit quæ in Republ. juramento consolidantur de iis ita Pronunciat *Dominus Pufend. Si juratum fuit super rebus & actionibus, quæ directioni superioris sub sunt, juramentum à consensu expresso aut tacito superioris non mutuabitur, qui illud irritum declarare potest &c. vid. lib. 4. J. N. & G. cap. 2. §. 24.* Inde hoc superiorum actus efficere non possunt, ut jusjurandum quod in se nullò laborat vitiò & factum sit super re, de quâ in jurantis arbitrio est pro lubitu disponere, non præstetur, quare quid est exemplum Reguli, qui Pœnis juramentum dederat se rediturum. Pufendorff. hanc addit rationem. Sc. Regulum fuisse Chartaginiensium servum in quem Romani nihil potestatis amplius habebant. Ex his igitur patet quod si quæ fieri debeat Relaxatio illa à superiori fiat, quod olfacientes Judæi, relaxationem nimir. à Rege fieri posse ejusque Majestatem ita reverendam putantes, ut non facile licitum sit ipsi contradicere Eundem in Synedriū M. non admittebant, ut testatur Majm. Tit *Sanbedrin. cap. 2. §. 4. & 5. Non adsciscitur inquit Rex Israelis in Synedrium, quoniam non permittitur ab eò dissentire aut verbo ejus contradicere, quæ cit. vid. apud B. Qvensted. in Antiqu. Bibl. de Syned. M. p. 37.*

§. 18. Causæ relaxationem inferentes possunt esse variz prout ipsa promissio seu materia ejusdem se se habet vid. hinc omninò §. 8. & 9. Inde si vel metus gravis & injustus vel coactio expres-

serit juramentum, præcipiens juramentum, non quidem con-
sequitur jus ad id quod juratum est rectè ab alterò postulandù,
jurans tamen Deo obligatur, stare jure jurando, si illud de re
possibili licitàq; est, propter Nominis ejus Sanctissimi reveren-
tiam. Unica proinde causa validissima erit, si sc. aliquis de re im-
possibili & illicità seu turpi conceperit juramentum, aut etiam
promiserit tale quid ut §. II. exposuimus. Quapropter his quoq;
ità expensis ad nostram deniq; Thesin asserendam accedimus.

§. 19. Promissiones perfectas quidem de re illicita seu turpi &
in honestà esse penitus per se & in se irritas, ità ut non opus sit
relaxationem à superiori fieri, nec ille qui promisit, perjurii ac-
cusandus sit, quamvis promissis non steterit, quin potius tunc bis
peccat, si rem in se turpem & naturà in honestam perpetraverit,
nec penitus eum excusamus & à peccato, immunem reddimus,
quia tale juramentum in ire non debebat, nec enim metus ali-
quis hìc tam validus esse potest qui me ad Malum Morale co-
gat, aut positò, promissionem absq; jura mento factam de re
quidem ejusmodi quæ nec mihi nec alteri incommodum quod-
dam aut damnum impingit, quod si de re turpi sit, præstanda
neutiquam erit, sed semper manet irrita.

§. 20. Tales autem promissiones sunt v.g. Merces meretrici
promissa, item si promittam me vel adulterium vel homicidium
aut aliud quodpiam malum turpe commissurum, aut etià quod
alteri possit esse noxium & in ipsius detrimentum ruat: Ità quam-
vis gladium alicui redditurum sanctè promiserim si tamè ille sit
furiosus ita ut exinde incommoda quædam satis dura secutura
sint, non obligor ad illud servandum Potissimum tamen priores
promissiones in nostrà dissertatione attenduntur.

§. 21. Probamus autem thesin nostram. Primò, quia illud pri-
mariò statim Deum lædit ipsiusq; legem offendit, si actus ex se
& suà naturà turpis promittatur & comittatur Deus enim fons
& Origo omnis boni à quò *πᾶσα δόσι ἀγαθὴ καὶ πᾶν δόσημα τελεῖσθαι
ἐστὶ κατὰ βῆσινον*, ut loquitur Apostolus Jacobus *Epist. cap. 1. v. 17* in-
de quoq; autor mali non existit qui est *עוֹר וְצַחַק נָל* Ps. 5. v. 5.
adeoq; nec in malò quoddam complacitum habet. Hic tan-
quam Summus Legislatores cordibus nostris legem inscripsit, ju-
xta quam omne malum & in honestum fugiendum, omne verò
honestum sectandum nobis proponit, quicunq; proinde con-

tra



tra hanc legem aliquid agit, ille lædit justitiam Dei ex quã lex illa fluit: Jam autem qui talia promissa præstat, ille peccat contra legem cordi suo inscriptã. E, eò ipsò lædit Justitiam divinam, & itã in Deum peccat, E. omittenda est ejusmodi promissio si vel etiam jurejurando fuerit, corroborata, cum in se sit flagitiosissima.

§. 22. Peccat etiam in se ipsum lædendo conscientiam suam reddendo sibi Deum iratum Angelosq; adversantes, inde tanti terrores conscientia qui tanquam vermis eandem arrodunt, cujusq; folii motum exhorrescit, quia eum offendit, qui Benefactor Creator & Conservator ipsius extitit imò horrescit vindictam ob violatam legem cordi suo insculptam. Sic Monstrum illud Romanum Tyrannus scil. pessimus Nero citò satis legem hanc violasse sentiebat; nam matre occisa desperabundus & lymphatus palabat, nec Senatorum nec militum nec Stipatorum suorum solatiò erigi poterat. Ne itaq; tantum aliquis malum sibi attrahat à promissionibus ejusmodi partim patrandis, maxime verò etiã ex sequendis absteineat. ac proinde in animæ affectionibus una continentia mensura esse debet perfecta scil. ab alienatio eorum, quæ ad perniciosam voluptatem tendunt, ut docet Basil. M. quæst. diffus. qv. 19

§. 23. Nec parùm proximus tantò flagitio offenditur, quod si quis exsequatur vel ipsum proximum lædit, ei scil. nocendo, vel scandalum præbet quod duriori poenã affectum iri ipse Salvator gravissimè minatur. *Matth. XIX. v. 7.* Sic si quis promittat se alterum occidere velle, id si præstiterit proximum omninò damno non contemnendò afficit vitã eum privando. Itã si meretricibus merces exsolvatur & quidem tanquam debitum, tunc omninò in peccatis suis confirmantur, nec unquam de poenitentia cogitant aut cogitabunt, nonnè hoc satis damni est, infundere igni oleum ut eò validius flamma excreseat.

§. 24. Tandem in Societatem quoq; illud impingit sive in Rempubl. si quis in eadem sit constitutus, non parùm enim Respubl. perturbantur & confunduntur ubi lupanaria publica tolerantur & merces justa in iisdem viventibus & servientibus adscribitur. Aut si promissio vel juramentum contra Patriam aut Rempublicam fiat nulla erit promissio nullum juramentum nulla obligatio: Nam ut commune effatum habet: *Adversus ea quæ Deo debentur & Respubl. non valet obligatio, nec jurata quidem, eò quod juramentum non debet esse juris divini impeditivum. Tolerabilius etiam est stultæ promissionis vota rejicere, quàm per inutilium promissorum custodiam exhorrendam criminum implere*

1987-



mensuram, ut illud affert ex Concil. Tolet. 8. c. 2. B. Dannh. Diff. de Voto Jephthæ §. 33. Sic v. g. Positò quendam in bello captum eà conditione dimissum esse, ut patriam prodat, vel etiam Regem occidat aut aliud quodpiam malum patriæ infligat, id si vel jurejurando promiserit & confirmaverit, irritum tamen erit, aut si quis devoverit sancteque promiserit se nunquam pauperibus benefacturum, pari negotio irritum hoc erit & pro nihilò habendum, cum ita proximum immediatè, hoc verò mediante Deum lædat.

§. 25. Possemus & adhuc alias adducere causas, quæ promissiones has reddant inanes, si in genere de cujusvis mali moralis causa essemus solliciti, illud unicum attingisse sufficiat, quod turpia istiusmodi promissa turpem quoque & Stygium illum Draconem agnoscant autorem, qui prouti omnis peccati Autor existit, sic quoque ad ejusmodi vota eorumque executionem instigat. Per se ipsum quidem Satanas autor peccati fieri non potest, verum existentibus in nobis quandoque naturalibus motibus, quandoque interdicitis affectionibus ut eas, per ipsos etiam ad proprios affectus abducere conatur eos, qui non vigilant teste *B. Basilio M. in quest. in compend. expl. quest. 75.* quò itaque minus istius mancipia videamur ab ejusmodi abstinendum erit.

§. 26. In specie quòd exempla horum promissionum concernit, primò hic ventilandum nobis erit promissum Meretricibus datum, quòd Pontificii tanquam legitimum vehementer propugnant. Illud omninò illicitum esse probamus: Primò quia est scandalosum Meretrices in proposito suo confirmans. Secundò rectæ rationi contrarium. Quicquid enim precio æstimatur, illud eò respectu, quò æstimatur oportet esse rem licitam aut indifferentem: Si verò mala sit per se illicita nullo etiam precio digna erit, cum peccata nec vendi nec justè ullà mercede gaudere queant. Tertio honestis legibus adversum, quæ prohibent ne peccata mercede quòdam afficiantur.

§. 27. Maximum quòd contrariam sententiam defendit argumentum est exemplum Judæ, qui Thamari ob actionem turpem, & promiserat & dein præstare volebat mercedem, cui ob id certum pignus oppignoraverat, & huic etiam subscribit Grotius, qui ad quæstionem nostram ita respondet: In promissis manet vitium quòdiu non perpetratum est crimen: tamdiu enim impletio ipsa promissio, ut mali illex, labem in se habet, quæ cessare incipit peracto crimine. Unde sequitur usque ad tempus promissionis talis efficaciam esse independenti

deni & crimine verò perpetrato, jam obligationis vim ex feri, quæ ab initio non intrinsecus defuit, sed ab accedente vitio fuit impedita, *lib. 2. de J. B. & P. cap. XI. § 9.* quod tamen negat *Dn. Pufendorff lib. 3. de J. N. & G. cap. 7. § 8.* Provocat etiam ibid Grotius ad exemplum Judæ. Verum respondemus: Narratur quidem in Scripturâ S. quid Judas egerit, non tamen approbatur. *Nec refert inquit B. Meisn. Phil. Sobr. Part. 3. cap. 6. quæst. 3. quod ibi Scriptura non reprehendit istius mercedis, vel dationem vel acceptionem, quia in historicis non semper addit legitur expurgis: Nec ipse incestus Juda ibi taxatur, quem tamen licitum fuisse, ex isto silentio nemo colligere potest, vel debet.* Labes aliqua, ejusmodi mercedem comitarur, etiam quando in tertium iusto titulo transit, quod ipsa ex scelere parta sit. Divina proinde lege prohibitum erat ne ex tali mercede pecuniâ in sacrarium inferretur. *Deut. XXIII. v. 18.* Imò & Sacerdotes religionem putabant mercedem proditionis à Judâ pro derelictâ habitam arario sacro inferre, *Matth. XXVII. v. 6.* Imponimus tandem assertioni huic Colophona eruditissimis verbis *Excell. Dn. Röhrenseen / P. P. Præceptoris nostræ ad cineres usq; devenerandi qui in Notis MSS. ad Pufendorff. de Offic. Hom. lib. 1. cap. IX. §. 18.* inquit *Promissio quæ fit propter opus malum, non tantum invalida est, ante opus præstitum, & neutram partem obligat, cum nemo se obligare possit ad peccatum, sed etiam post perpetratum factum adeoq; non tenetur Promissor ad promissum implendum, opere etiam securo & patrato, quia talis impletio nihil aliud esset, quam peccati semel capti continuatio & confirmatio.*

§. 28. De repetendo pretio turpi prolixè agit *Dnus Pufendorff.* l. c. illudq; variis rationibus probat, nos secuti *Prudentissimi Præceptoris nostri hâc in Palæstrâ Versatissimi Excell. Dn. Röhrenseen* sententiam, repetitionem mercedis turpis licitam esse asserimus, his maximè innixi rationibus. Primò quia quod intrinsecè malum est, pro eò nulla merces accipi potest, accepta verò restitui. Secundò quia leges generaliter affirmant non valere pactum & promissionem ob rem turpem. Tertio, quia quod turpiter retinetur, naturaliter restituum est. Cui nihil obstat Exemplum Judæ, qui Thamarem existimabat Meretricem & postea ipsi hædum misit, quia illud in sacris literis quidem recensetur, sed non approbatur, deinde Judicium Judæ non fuit rectum sed corruptum. Nam ut *Seldenus lib. 5. cap. 4. de J. N. & G.* dicit. Creditum fuisse eò tempore, licere corruptæ & absolutæ fornicariæ corporis sui usum concedere alteri sine consensu invitæ communio-

munione, idq; vel gratis, vel pro mercede, adeoq; validam obligationem ex istiusmodi conventionem &c. Judas itaq; hæc ex judicio corrupto moreq; gentium vicinorum sensit, ex quo nulla regula sive norma constitui potest.

§. 29. Sic quoq; Votum sive promissum Jephthæ, quod circa rem illicitam erat, irritum fuit, nec ad illud obligabatur. Nam nec ex parte acceptantis scil. Deo gratum esse potuit, nec ex parte causæ efficientis profectum ex non plenâ deliberatione, quia imprudenter illud concepit, quæ imprudentia, ignorantia fuit rei non plenè satis deliberatæ, nam votum hoc editurus non fuisset, si singulas rei circumstantias perpendisset. Tertio ratione materiæ quoq; sese minus rectè habet, quia de re illicitâ & impossibili susceptum, homicidium enim est res in se turpis ac illicita imò tale sacrificium Deo est abominatio. Quarto Forma etiam illicita erat, quia imprudenter & sine conditione, hic necessaria propositum, adeoq; Jephtha non obligabatur ad promissum implendum cum fuerit illegitimum. Quod nec Gentilis ille Orator eloquentissimus Cicero probat, (gentiles enim per Iphigeniam suam Dianæ oblatam nihil aliud quàm Jephthæ filiam intelligunt) *lib. 3. off. p. m. 129.* quod ut totum transcribamus operæ precium facturos ducimus: *Quid Agamemnon? inquit, cum devovisset Diane, quod in suo Regno pulcherrimum natum esset, illò annò immolavit Iphigeniam, quâ nihil erat, eò quidem annò natum pulchrius. Promissum potius non faciendum, quàm tam tetrum facinus admittendum fuit. Ergò Promissa servanda non sunt.*

§. 30. Pari quoq; negotio promissa alteri inutilia sunt irrita, quale exemplum superius §. 20 fuit allatum de gladio non reddendo. Sic Sol Phææ tonti filio (ut redeamus ad fabulas) inquit Cicero, facturum se esse dixit quod optasset, Optavit, ut in currum patris tolleretur, Sublatus est, atq; insanus quæ constitit, ictu fulminis deflagavit. Quanto melius fuerat, in hoc promissum Patris non fuisse servatum: huic non dissimile de Theseo profert *lib. 3. off. p. m. 129.*


§. 31. Idem de promissionibus circa impossibilia esto judicium, ad quæ si quis nos coegerit cum sciverit impossibilia, omninò tantum luisse nobiscum videtur, nec etiam quis spontè absolute impossibilia promittere debet, quia sic quasi mentis minus compos censetur. Quod autem nullam habeant obligationem ex communi effato constat: Ultra

posse nemo obligatur. TANTUM
SOLI DEO GLORIA!

ULB Halle

3

003 891 534





f

Sb.

VD 17







11000.

No: 503.
14
1692
169

Q. D. B. V.
DISSERTATIO MORALIS,
DE
**PROMISSIONE
VITIOSA
IRRITA,**

Quam
Auxiliante Numine Divino
In celeberrimâ Wittenbergensium
Academiâ

SUB PRÆSIDIO
M. NICOL. PANECII,
Zittaviâ-Lus.

publico Eruditorum examini
submittit

GEORG. CHRISTOPH. KRANZIUS,

Ortrand. Misn.

Ad diem XXIX. Octobr. An. 1692.

H.L.Q.C.

WITTENBERGÆ, prelô JO. WILCKII.